



## I. Abteilung: Abhandlungen.

### De peculio religiosorum.

Dissertatio canonico-historica.

Auctore P. Lamberto Kober, O. Cist.

#### Pars prima.

#### Caput I.

#### De peculii notione et divisione.

Ex grandi in materia peculii monastici obscuritate ius regularium hucusque laborare atque quaestionem summi momenti practici in tenebris positam esse nemo est qui neget. Ingens, quae neminem hanc in rem serio inquirentem latet confusio, vel eo maxime sentitur, quod inde a medio saeculo XVIII. nulla hac de re prodiit elucidatio, cum tamen praecise haec periodus statum religiosum in nova historiae et evolutionis suae epocha constituerit, et quae ante hoc tempus de peculio religiosorum scripta sunt, quaestionem magis implicant quam solvunt. Etenim ex duobus, quos ex professo de peculio monastico tractantes repperi, Van Espen iansenisticae doctrinae specimen nobis supeditat, Concina secundum S. Alphonsum „nimis severus iudex“ exurgit et „erudite loquitur, sed plus quam par est, invehit contra religiosos quodcumque minimum peculium habentes“.<sup>1)</sup> Ceterum non modo hi, sed alii quoque, qui sine ira et studio in rem inquirent et inter quos eminent Navarrus, quaestionem nunc vel unice vel maxime ex scopo morali et ascetico tractant, nunc solius iuris speculativi principia premunt urgentque, cum tamen in materia iuris nemo ignoret „aliud esse ius in abstracto consideratum, aliud speciebus obvientibus adamussim adnexum. Illud in principia et universalia constanter versatur et criteria

<sup>1)</sup> Alphonsus a Ligorio, Theologia moralis t. IV. Ratisbonae 1846, lib. IV. p. 113.

stabilia constituit, hoc temporibus et circumstantiis subiectum mutatur in horas<sup>1)</sup> Ex hac eadem ratione neque Suarez, qui ceteroquin fuse et sagaciter de paupertate monastica disputat, sufficere censendus est, quippe qui iam ante medium saeculum XVII nos deserat. Quae ergo obscuritas ut tollatur et quaestio maximi momenti practici ut rite solvatur ad efformandam certam de usu peculii monastici conscientiam, ex fontibus iuris et testimoniis historicis in liceitatem peculii religiosorum inquirere iuvabit.

Jam eius, de quo in iure regularium sermo occurrit, peculii conceptus neque quoad vocem neque quoad rem originem ducit ex ipso iure regularium, sed analogiam dicit ad peculium clericorum, quod ipsum in sua relatione ad possessorem clericum suam significationem habet ex iure Romano, ex quo in tit. XXV tertii libri Decretalium Gregorii IX, agentem de peculio clericorum, desumptum est. Claram proinde evoluturos rei, de qua agendum est, notionem tum eius origo tum ipsius conceptus, quam auctores haud ignorant, difficultas,<sup>2)</sup> ut ad ipsum peculium iuris Romani descendamus, nos compellit.<sup>3)</sup>

Antiquum ius Romanum filiumfamilias, quamdiu sub potestate patris erat, simpliciter incapacem habuit quicquam possidendi, id quod aequè de servo valet; quidquid uterque acquirebant, ipso iure et necessario patris, resp. domini erat. Cui tamen incapacitati non obstabat; quominus filio pater — pariter dominus servo — aliquam substantiam tamquam rem a substantia patris separatam et propriam concederet, quae tamen licet facto separata, verum iuridice pars tantum erat bonorum patris quaeque peculii nomine venit.

Rigorem antiquum infringere coeperunt imperatores in favorem filiifamilias militis, statuentes militem de iis, quae ex militia sibi obvenerant bona, tamquam patremfamilias libere disponere posse. Cui peculio castrensi quod dicebatur, simul aliae quaedam acquisitiones tamquam bona quasicastrensia aequiparabantur. Constantinus deinde ulterius progrediens filiis bona materna tamquam proprii iuris vindicavit, quem favorem Justinianus eo usque extendit, ut eorum omnium, quae filii aliunde ac ex substantia patris acquirebant et accipiebant et quae peculium adventitium nuncupari consueverunt per oppositionem ad peculium ex rebus paternis proveniens, quod nunc profectitium dicebatur, filiis dominium competere, usum vero et administrationem ad patrem pertinere iuberet.

<sup>1)</sup> Nervegna, De iure practico regularium. Romae 1900, p. 7.

<sup>2)</sup> Scherer, Art. Eigentumsrecht in »Kirchenlexikon«.

<sup>3)</sup> Czychlarz, Lehrbuch der Institutionen des römischen Rechtes. Wien, 1905, p. 246—249.

De vario hoc peculio varia ius statuebat. Hic vero pro fine nostrae quaestionis praetermissis ceteris generibus in solius peculii profectitii naturam paucis praevie inquiremus, cum in religioso de hoc solo peculio sermonem posse esse et ex incapacitate monachi pateat quicquam sibi acquirendi et auctores aperte doceant.<sup>1)</sup>

„Peculium autem Tubero quidem sic definit, . . . quod servus domini permissu separatim a rationibus dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur“ (l. 5 de peculio D. XV, 1), et „Peculii est non id, cuius servus seorsum a domino rationem habet, sed quod dominus ipse separaverit suam a servi rationem discernens“ (ibid. l. 4). — Circa quod ita iuris dispositiones habebant: Quidquid filius in patria potestate constitutus ab ipso patre accipit vel ex eiusdem bonis acquirit, ad substantiam pertinet patris (J. I. 9 per quas; pr. de rei vindicatione D. VI; C. de bonis quae liberis VI, 61.) Unde quaevis donatio a patre facta filio invalida est (pr. pro donato D. XLI, 6; 11 C. de donationibus VIII, 53[54]). Nihilominus potest filius de bonis patris quaedam tamquam propria habere, ex sola tamen concessione saltem tacita eiusdem (l. 3. de usu D. VII, 1) et peculio a substantia patris reapse separato. Deinde ad hoc peculium pertinet omne id, quod filius ex re peculiari vel peculii nomine acquirit (l. 4. de acquirendo D. XLI, 2). Attamen peculii administratio filio competit, in quantum ei conceditur (l. 34. pr. de novationibus D. XLVI, 2; l. 10 C. quod cum IV, 26), ad donationes vero ex eo faciendas indiget speciali concessione patris (l. 7. deonato D. XXXIX, 5): Semper tamen peculium iuridice est et manet substantia patris, qui illud quolibet tempore pro suo arbitrio revocare potest (l. 8 de peculio D. XV, 1) quodque post mortem eo fruentis partem constituit hereditatis paternae (l. 38 de cond. indel. D. XII, 6).<sup>2)</sup>

Iam domini incapacitatem, ex qua in iure Romano servus et in patria constitutus potestate laborabat filiusfamilias, in iure canonico multo adhuc magis contrahit religiosus sollemniter professus. Etenim „quicumque emittit votum sollemne paupertatis, ipso facto ex iuris dispositione independentem a praevia renunciatione in perpetuum amittit 1. omne rerum temporalium externarum, quae bona fortunae dicuntur, sive pretio aestimabilia sunt, dominium sive directum sive utile, possessionem vel aliud ius reale, quae ante

---

<sup>1)</sup> Scherer, Handbuch des Kirchenrechtes, 2 Bde. Graz u. Leipzig 1898, IV. B., S. 825, n. 123: »Der rechtliche Charakter des peculium monasticum ist demnach nicht nach Analogie des [alten] römischen pec. servi, auch nicht des pec. castrense vel quasi, sowie adventitium, sondern jener des pec. profectitium des späteren römischen Rechtes zu beurteilen.«

<sup>2)</sup> Corpus Juris Civilis, ed. Mommsen-Krueger-Schoelt. Berolini, 1872 - 95.

professionem in ipsius proprietate et possessione fuerunt; 2. capacitatem ad nova temporalia sibi acquirenda sive quoad dominum proprietatis sive quoad usumfructum vel usum independentem a voluntate legitimi Superioris<sup>1)</sup> Quae cum ita sint, quid mirum, quod ius canonicum non solum, ubi clericos bonorum ecclesiasticorum non possessores, sed usufruentes dumtaxat constituebat, peculii iuris Romani analogiam usurpavit, verum etiam, ubi regulares singulos, id est personas, quae ad disponendum de bonis vi conditionis suae inhabiles sunt, bonis uti vel uti debere contigebat, apud religiosos quoque de peculio sermo fieri coepit!

Definitio igitur peculii religiosorum seu monastici ex dicta analogia sponte resultat, est nempe parva quaedam quantitas bonorum fortunae separata a rebus monasterii, quam persona regularis dependenter a suo superiore ad suos usus possidere, administrare, detinere potest. Neque tamen sine ulteriore declaratione hanc definitionem relinquimus, cum paucis insuper rem tum explicemus tum circumscribamus pro fine nostrae quaestionis necesse sit.

Duplex communiter peculium canonistae distinguunt: alterum independens seu iuris perfecti, dependens seu iuris imperfecti alterum; illud includit facultatem libere et independentem ab alio de eo disponendi, hoc non tribuit nisi administrationem, possessionem vel detentionem et usum dependentem ab alio, ita ut ad eius arbitrium restringi, revocari et omnino auferri possit.<sup>2)</sup> Prioris generis peculium a limine excluditur, cum religiosus per sollemne paupertatis votum incapax fiat rerum temporalium vel saltem, quod iam accidit in voto simplici, usus eorum liberi et independentis, unde tamen non sequitur peculii iuris imperfecti, quod unice in iure locum habere potest, dependentiam limitari ad administrationem, possessionem, usum, at dominium proprietatis ipsi esse religioso vindicandum, id quod vult Scherer asserens: „Das Eigentum am Peculium steht nach der richtigeren Ansicht dem Regularen zu, allerdings dem Orden gegenüber einigermassen beschränkt.“<sup>3)</sup> Talis sententia merito improbatur ab auctoribus<sup>4)</sup> et aperte repugnat Benedicto XIV, qui expresse monet: „Eisque (monialibus) demum efficaciter suadeatur et aperte denuntietur nullum iis esse huiusmodi peculii dominium, sed merum usum huncque, ut superius diximus, omnino subiectum praescriptae arbitrio ac voluntati“<sup>5)</sup> et paulo infra:

<sup>1)</sup> Wernz, S. J., Jus decretalium, 5 ti. Romae 1901, t. III, n. 650.

<sup>2)</sup> Piat, O. Cap., Praelectiones iuris regularis, 2ti. Tornaci 1888, I. p. 240.

<sup>3)</sup> l. c. p. 825, n. 123.

<sup>4)</sup> Wernz, III. l. c. nota 379.

<sup>5)</sup> Benedictus XIV., De syn. dioec., Romae 1748, l. XIII. c. 12. n. 21.

„hoc insuper scire debent non penes se esse illarum (praestationum) dominium, sed usum tantummodo, atque hunc superiorissae arbitrio et voluntati omnino subiectum.“<sup>1)</sup> Ergo solum perfectae huius dependentiae peculium in religioso locum habere potest.

Peculii vero dependentis praecipua bene notetur divisio:

„Fieri enim potest, ita Ballerini, ut ex massa communi bonorum tradatur religiosis singulis portio quaedam, qua sibi quotannis pro victu, vestitu ceterisque necessitatibus consulere valeant.“<sup>2)</sup>

Hoc peculio „si ipsum omnibus religiosis monasterii detur, nisi sit pro certis solum minoris momenti necessitatibus, tollitur actu ea, quae dicitur vita communis, sed pressiore sensu, nempe non ratione societatis, sed sustentationis, quae quidem vita communis manet in radice, quatenus ex massa communi omnes accipiunt.“

„Fieri rursus potest, ut religiosi apud se habeant bona aliunde accepta, quae massae bonorum monasterii non sint incorporata, quibus iidem suis necessitatibus consulant“ (ibid.). Hoc peculium, quod adversatur vitae communi, brevitatis causa vocamus incompatible, illud compatibile sc. vitae communi. Compatible vero iterum duplex est: prioris generis, quando datur pecunia pro rebus, quibus omnes alicuius communitatis religiosi aequali ratione indigent, puta victu et vestitu; secundi generis, quando pecunia datur pro rebus, quibus tantum aliqui indigent quasque aliis religiosis communis provisio ministrare non solet, puta libros pro magistris, instrumenta pro artificibus.

Materiam peculii constituunt bona fortunae, quae sive in re naturali sive in pecunia a monasterio sive tamquam redditus, praestationes, livella a tertia manu per monasterium personae religiosae ad usum privatum conceduntur;<sup>3)</sup> per se quidem non requiritur, ut haec bona ratione stabili et certis temporibus religioso deputentur, ex modo tamen loquendi hodie peculium non dicuntur, nisi, quamvis semper hic modus revocari possit, de facto tamen ad usum habitualement praestentur, unde et recentissimus auctor materiam peculii expresse intelligit eam, „qu' un religieux reçoit pour son usage privé, habituel.“<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> ibid. n. 22.

<sup>2)</sup> Ballerini, S. J., Opus Theologicum Morale<sup>2</sup>, ed. Palmieri S. J. Prati 1893, IV. n. 113, pariter Vermeersch, S. J., Praelectiones canonicae de religiosis institutis et personis<sup>2</sup>, 2ti. Brugis 1904, I. n. 273 et Caratelli, Manuale dei Novizi e Professi Chierici e Laici Minori Conventuali. Romae 1897, p. 139.

<sup>3)</sup> Scherer, l. c. § 147, 3. »Das Peculium kann dem einzelnen von der Klosteradministration in Naturalien oder Geld ausgeworfen werden oder aber in der Belassung von Leistungen dritter Personen, Renten, Gehalte u. a. bestehen.« — Item Piat, I. p. 229, 3<sup>o</sup>. — Bened. XIV. l. c. annuos redditus religiosorum vocat peculium.

<sup>4)</sup> Bastien, O. S. B., Directoire canonique à l'usage des congrégations a vœux simples. Abbaye de Maredsous 1904, n. 249.

Peculii concedendi mensuram atque finem deque eo dispositionis ambitum necnon perfectae dependentiae modum, quae omnia cum ex ipsa definitione non clare eluceant, infra melius colligemus ex mente ecclesiae. Hic solum quoad subiectum peculii adhuc notamus primo: nomine regularium intelligi non aliquam communitatem, sed singulos religiosos, simulque animadvertimus cum Biederlack „hanc quaestionem tam regulares sollemniter professos quam eos, qui simplicia tantum vota emiserunt, attingere. Nam per simplex paupertatis votum amittitur licitus usus et dispositio de bonis temporalibus“; <sup>1)</sup> secundo: particulares diversorum ordinum circa votum paupertatis dispositiones non attendentes solum, quid ex iure communi quoad peculium valeat, inquirimus, regulares igitur non consideramus relate ad peculiarem proprii ordinis rigorem, sed relate ad ordinationes iuris communis, a quo cum ordines militares in materia paupertatis eximantur, in hac quaestione non respiciuntur.<sup>2)</sup>

Denique ad peculium monasticum tum ratione originis tum ratione liceitatis rite intelligendum et diiudicandum prae oculis habeatur necesse est totam illam, quae per votum paupertatis contrahitur, omnis proprietatis incapacitatem qua late patet unice haberi et haberi posse ex lege positiva, id quod ex canonistis nemo est qui neget cuiusque rei rationes internas fuse exsequitur Suarez.<sup>3)</sup> Et hanc paupertatem secundum aestimationem suam iuridicam acceptam, non virtutem paupertatis christianae, intelligimus, si ei in sequentibus peculium opponitur, et quocum quomodo ipsum conciliari possit, nobis quaeritur. Si autem, ut recte animadvertit Biederlack, „ad hoc quaestio de peculio religiosorum redit, utrum regularibus non obstante paupertatis voto licitum sit, saltem de parva pecunia aliisve minutis bonis temporalibus disponere“ <sup>4)</sup> — et haec est quaestio nobis discutienda, — etiam peculii liceitatem patet fore quaestionem solum iuris positivi, cum illud paupertati non de iure naturali adversari persuasum sibi habeant omnes.<sup>5)</sup>

Unde iam accingentibus nos ad ipsam inquisitionem usque ad illud tempus, quo ius positivum versari incipit circa religiosam paupertatem, quaestionem facile intelligitur nobis mere historicam esse tractandam, et quodsi supra ex natura rei paupertatem iuri-

<sup>1)</sup> Biederlack, S. J., De iure regularium. Oeniponte 1892, n. 51.

<sup>2)</sup> Scherer, l. c. § 147, 3.

<sup>3)</sup> Suarez, De statu religioso. Lugduni 1632, lib. II. Cap. XII. n. 11. 12. 13.

<sup>4)</sup> n. 51.

<sup>5)</sup> Suarez, lib. VIII. c. 14. n. 8; S. Alphonsus, L. IV. n. 15. p. 111; Schmalzgrueber, S. J., Jus ecclesiasticum universum. Neapoli 1738, t. III, P. IV. tit. 35. n. 11, 2a; Ballerini, IV. n. 115, 2<sup>o</sup>; Bouix, Institutiones Juris Canonici. 2ti. Parisiis 1857, l. p. 541. q. III.

dicam statui religioso non esse necessariam diximus, ipsa antiquitas christiana incapacitatem proprietatis de facto per plus quam quinque saecula eidem non fuisse essentialem clare testabitur.

## Caput II.

### De natura et observatione paupertatis religiosae usque ad Justinianum Imperatorem.

Miro lumine circumfusam sacrae paginae nobis exhibent primam communitatem christianam: „Omnes etiam qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.“<sup>1)</sup> Mutata temporum indoles, propagatio maxime nominis christiani, idealem hanc vivendi formam omnibus fidelibus observandam brevi reddidit impossibilem; neque tamen exstinctum est desiderium aureae illius aetatis, non exsiccatus fons illius sanctae pacis, idem quo prima ecclesia Hierosolymitana repleta erat spiritu, eodem sanctae vitae innumeros coetus obstrinxit vinculo. Nam „huic veteri disciplinae Regularium Ordinum institutores suum veluti aedificium superexstructum voluerunt, communis vitae usum suis sectatoribus praescribentes, eidemque fundamento religiosae vitae institutum innixum voluit ecclesia, dum proscripita a virorum mulierumque monasteriis proprietate communia omnia inter eos esse voluit.“<sup>2)</sup>

Et revera quodsi Urbanus I. († 230) in prima sua epistola decretali monet „ut quicumque communem vitam susceptam habuit et vovit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat“,<sup>3)</sup> iam tunc temporis omnis proprietatis abdicationem cum statu religioso intime coniunctam fuisse testatur. Ex institutoris sui regula Nitriae in Aegypto quinque milia monachorum per cellas separatos sine ullo proprio vixisse anno 384 refert S. Hieronymus,<sup>4)</sup> paupertatem tamquam characteristicon monachi idem exigit anno 397.<sup>5)</sup> S. Basilius († 379) proprium in monacho simpliciter furto aequiparat: κλοπή γὰρ ἢ ἰδιαζόμενα κτήσις,<sup>6)</sup> paupertatem generatim tamquam fundamentum ponit religionis<sup>7)</sup> simulque hanc obligationem ex emisso voto repetit: „Nam qui eo semel animum obfirmavit, ut ne suarum quidem ipsius manuum esset dominus, quo pacto is non a seipso videatur dissentire, si

<sup>1)</sup> Act. II. 44, 45; item IV. 32—35.

<sup>2)</sup> l. c. n. 18.

<sup>3)</sup> Migne, P. Gr. X, col. 139.

<sup>4)</sup> Ep. 22 [ad Eustoch.] c. 33; Migne, P. L. XXII, col. 418.

<sup>5)</sup> Ep. 66 [ad Pammach.] c. 6; ibid. col. 643.

<sup>6)</sup> Constit. mon. c. 34 n. 1; Migne P. Gr. XXXI, col. 1426.

<sup>7)</sup> Sermo asceticus: Migne, ibid. col. 878, 879.

eorum quae . . sunt necessaria . . postulet, ut ius penes se sit in eaque dominii sibi auctoritatem usurpet?<sup>1)</sup> S. Augustinus († 430) suis clericis in vita communi viventibus omnem possessionem abiudicavit<sup>2)</sup> et regula ab eodem sanctimonialibus praescripta in capite I. haec continet: „Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia et distribuatur unicuique vestrum a praeposita vestra victus et tegumentum.“<sup>3)</sup> S. Benedicto († c. 543) proprium monachorum est „vitium radicitus amputandum.“<sup>4)</sup>

Paupertatis ergo observationem utpote statui perfectionis acquirendae essentialem omnes ordinum institutores severe exigunt, eiusdem autem simul obligationem non ex lege aliqua ecclesiastica, sed ex sola „pollicitatione“ derivant, quia regula fundatoris hac aetate unica norma<sup>5)</sup> erat religiosi ad res temporales determinans quodque etiam medio saeculo quinto testatur Salvianus.<sup>6)</sup> Idem autem defectus legum positivarum effecit, ut paupertas religiosa eius aetatis non omnem capacitatem possidendi excluderet, quod non adversatur textibus allegatis, utpote huius temporis testimonia probare dominii quidem prohibitionem, non vero incapacitatem recte moneat Suarez.<sup>7)</sup> Porro tantum abest, ut talis incapacitas ante Justinianum locum habuerit vel legibus statuta sit, ut potius et facta et leges illud genus paupertatis, quod omnem possidendi habilitatem excludat, his temporibus clare ostendant in ecclesia non fuisse, imo aliquam possessionem cum paupertate religiosa bene componi potuisse.

„Olim, ita Suarez, erant multi religiosi solitariam vitam degentes, qui actu nulli proximo superiori specialiter erant subiecti, ut Paulus Eremita et similes, quos veros religiosos fuisse sentit D. Thomas . . Illi ergo non poterunt talem paupertatem profiteri, quia non poterant non habere aliquas res necessarias ad victum et vestitum, quatum dominium . . apud aliquem erat. Unde sine alicuius facultate poterant de eis disponere in quemlibet honestum usum pro suo arbitrio.“<sup>8)</sup> Ratio hic facile apparet, quia in hoc et similibus casibus deerat fundamentum, quoposito perfecta illa paupertas exerceri posset, vita nempe communis.

<sup>1)</sup> Regula 41 ex fus.: ibid. col. 1023.

<sup>2)</sup> Sermo 355 ad fratres in eremo: Migne, P. L. XXXIX. col. 1569.

<sup>3)</sup> Holstenius, Codex regularum, 6ti. Aug. Vindel. 1759, t. I. p. 349.

<sup>4)</sup> Regula cap. 33: ibid. t. I. p. 125.

<sup>5)</sup> Spreitzenhofer, O. S. B., Die Entwicklung des alten Mönchtums in Italien von seinen ersten Anfängen bis zum Auftreten des hl. Benedikt. Wien 1894, p. 77: „Über die Besitzverhältnisse der Mönche sind überhaupt vom Anfang an keine festen Normen vorhanden gewesen, da ja das hl. Gelöbniß, im klösterlichen Leben alles aufzugeben, ohnehin die leitende Idee war.“

<sup>6)</sup> Adversus avaritiam l. II. § 12: Migne P. L. LIII, col. 202.

<sup>7)</sup> l. c. cap. VII, n. 2.

<sup>8)</sup> ibid. n. 3.

Unde nec mirum, quod Hieronymus refert duos monachos magnas vineas possedisse,<sup>1)</sup> quin ullo modo id reprobet. Sed et cum vita communi aliqua possessio conciliari consuevit. Scimus s. Paulam Roma in orientem proficiscentem variorum monasteriorum habitatoribus multa bona largitam esse,<sup>2)</sup> Pammachium pariter non ignoramus ad vitam monasticam iam conversum tum antea saepius tum mortis causa pauperibus possessiones suas reliquisse,<sup>3)</sup> Demetriadem aequae constat non magis dominio suae substantiae resignasse ac Paulam et Melaniam:<sup>4)</sup> quae omnia iterum intelliguntur, si consideratur potuisse etiam in privatis domibus personas, maxime mulieres, statum religiosum profiteri et exercere, id quod probat Suarez.<sup>5)</sup> Quodsi denique in hac epocha non desunt casus, in quibus personae religiosae tum hereditates acceperunt tum ipsae legaverunt, haec sicut et superioris generis facta non sunt nisi interpretationes iuris tunc vigentis.

Ex lege autem positiva anni 370 singuli monachi habiles erant capiendae hereditatis: . . „Ceterum si earum (personarum) quid voluntate percipiunt, ad quarum successionem vel bona iure civili vel edicti beneficiis adiuvantur, capiant ut propinqui.“<sup>6)</sup> Quae lex mox ingentibus abusibus ansam praebuit; narrat s. Hieronymus, quomodo monachi testamentorum captatores „alii nummum addant nummo et in marsupium suffocantes matronarum opes venentur obsequiis; sint ditiores monachi quam fuerant saeculares, possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant, et suspiret eos ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos.“<sup>7)</sup> Quid mirum, quod brevi edictam Nicephori Phocae aliorumque imperatorum christianorum<sup>8)</sup> omne hereditatis capiendae ius monachis abiudicavit! Iamvero Hieronymus valde conqueritur, quod nunc monachi hereditatibus priventur, cum idolorum sacerdotes, aurigae, scorta ipsas de iure percipere possint: itaque de tali iure monachis competente non dubitat, sed solum de causa queritur, qua hanc legem meruerunt.<sup>9)</sup>

<sup>1)</sup> Vita Hilar. c. 27: Migne, P. L. XXIII, col. 42.

<sup>2)</sup> S. Hier. Ep. 108 [ad Eustoch.] c. 12 et 19: Migne, P. L. XXII, col. 868 et 896.

<sup>3)</sup> Ἡ πρὸς Λαῦσον ἱστορία c. 122; Migne, P. Gr. XXXIV. col. 1233  
»Τούτων συγγενὴς ὀνόματι Παμμάχιος ἀπὸ ἀνθυπάτων ὁμοίως ἀποταξάμενος ἐξήγαγε τὸν ἀρίστον βίον πάντα τὸν πλοῦτον αὐτοῦ τὸν μὲν ζῶν διασκορπίσας, τὸν δὲ τελευτῶν τοῖς πτωχοῖς καταλείψας, πρὸς τὸν κύριον ἀπεδήμησεν.«

<sup>4)</sup> S. Hier. ep. 130 [ad Demetr.] c. 15: Migne P. L. XXII, col. 1119, 1120.

<sup>5)</sup> l. c. cap. VII. n. 3.

<sup>6)</sup> Codex Theodosianus c. perp. commentariis Jacobi Gothofredi, 6ti. Lugduni 1665, 16, 2. 20.

<sup>7)</sup> S. Hieron. Ep. 60 [ad Heliodor.] c. 11: Migne, P. L. XXII, col. 596.

<sup>8)</sup> Cod. Theod. l. 20 et 27 de Ep. et Cler.

<sup>9)</sup> S. Hier. ep. 52 [ad Nepot.] c. 5: Migne, P. L. XXII, col. 532.

At iam 390<sup>1)</sup> et 392<sup>2)</sup> ius pristinum monachis restitutum est facultasque iis postea de lege concessa de suis bonis etiam mortis causa libere disponendi. Sic 434 impp. Theodosius et Valentinianus legem condiderunt: „Si quis presbyter aut diaconus. . . aut monachus aut mulier, quae solitariae vitae dedita est, nullo condito testamento decesserit, . . . bona, quae ad eum vel ad eam pertinerunt, sacrosanctae ecclesiae vel monasterio, cui fuerat destinatus aut destinata, omnifariam socientur.“<sup>3)</sup> Et anno 455 Valentinianus et Marcianus statuerunt: „Generali lege sancimus, sive vidua sive diaconissa sive virgo Deo dicata vel sanctimonialis mulier. . . testamento vel codicillo suo. . . vel ex integro vel ex parte in quacumque re vel specie crediderit relinquendum, id modis omnibus ratum firmumque consistat.“<sup>4)</sup> Quae cum iuris communis dispositiones haberent, intelligitur quoque, cur concilium provinciale Agathense sub Sixto (432—40) celebratum monachum statuerit posse habere servos sibi datos.<sup>5)</sup>

Quae ergo ex dictis conclusio sponte resultat, Suarezii verbis absolvimus asserentes paupertatem a temporibus apostolicis semper in vita religiosa fuisse usitatam, non vero semper perfectam et dominii incapacitatem non posse affirmari „de monachis, qui in solitudine vivebant sive omnino solitarii essent sive in aliqua societate eiusdem eremi, ita tamen, ut in singulis cellulis habitarent, propria peculia habentes, de quibus disponere poterant saltem in usus pios et de licentia senioris. . . De aliis vero in congregatione viventibus probabilius apparet semper observatum fuisse, ut nihil proprium haberent neque habere possent sine facultate praelati. Quod vero essent incapaces, nullo modo ostendi potest: imo aliqua exempla oppositum suadent.“<sup>6)</sup> Quia autem simul verum est, quod dicit Spreitzenhofer: „Da nun gerade vollständige Armut vom Anfange an als Postulat der vollkommenen Nachfolge Christi und als Voraussetzung des aszetischen Lebens im Kloster überhaupt galt, jedoch abgesehen von den Regeln keineswegs durch ausdrückliche Normen geschützt war, so war die Reinheit dieser Übung an den mehr oder minder vollkommenen Geist der einzelnen Klöster gebunden,“<sup>7)</sup> fieri non potuit, quin, ubi communiter observari debuit perfecta paupertas „ob temporum et hominum imperfectionem et infirmitatem haec introducta sit condicio,“<sup>8)</sup> inhabilitas nempe cuiusvis dominii lege positiva statuta.

<sup>1)</sup> Cod. Theod. 16, 2. 28.

<sup>2)</sup> ibid. 16, 3. 2.

<sup>3)</sup> Cod. Just. L. I. Tit. 3. de Ep. et Cler.

<sup>4)</sup> Cod. Just. l. 13, Lib. I. Tit. II. de sacros. eccl.

<sup>5)</sup> C. J. C, ed. Richter. Lipsiae 1839, c. 40. C. XVII. q. 4.

<sup>6)</sup> l. c. cap. VII. n. 27.

<sup>7)</sup> l. c. p. 81.

<sup>8)</sup> Suarez, l. c. cap. VII. n. 26.

## Pars secunda.

### De peculio monastico ante Conc. Tridentinum.

#### Caput III.

#### De inducta religiosorum relate ad proprietatem inhabilitate.

Illud religiosae paupertatis genus, quod monachum dominii reddat incapacem, tunc universaliter est introductum, ubi primum et lex hanc incapacitatem unice inducens condita est et condicio posita, quae eiusdem legis observationem reddat possibilem, inde nimirum a temporibus Justiniani Imperatoris (527—65),<sup>1)</sup> quin negetur iam antea aliquam religionem ex speciali concessione sive pontificum sive episcoporum illam paupertatem servasse.<sup>2)</sup>

Anno 535 prodiit novella principalis: „Illud quoque decernimus, qui in monasterium introire voluerit, antequam in monasterium ingrediatur, licentiam habere suis uti quo voluerit modo. Ingredientem namque simul sequuntur omnino res,<sup>3)</sup> licet non expressim quia introduxit eas dixerit, et non erit dominus earum ullo modo.“ (Nov. V. De monachis, 5.)

Qua constitutione novum ius conditum esse ipse Imperator anno 538 inculcat dicens hanc novam legem non respicere retro: „Propterea sancimus, si quis monasterium habitavit vir aut mulier ante praedictam nostram constitutionem aut haecenus habitat, et maxime filiis existentibus, nullam habere necessitatem nunc eorum substantiam ‚introducere‘ in monasterium, sed filio aut filiae transmittere aut totam aut etiam partem suae substantiae aut etiam quo voluerit modo disponere.“ (Nov. LXXVI Haec constitutio, 1.)

Anno 541 secuta est alia novella: „Si qua mulier aut vir monachicam elegerit vitam et intraverit in monasterium filiis non exstantibus, monasterio in quod ingreditur, et res eius competere iubemus.“ (Nov. CXXIII De sanctissimis etc., 38.)

Ex utraque hac authentica desumptae sunt leges priorum legum contrariarum derogatoriae codicisque eiusdem Imperatoris a glossatoribus insertae:

<sup>1)</sup> Quod docent et veteres: Suarez, l. c. n. 23, et persuasum habent recentissimi: Wernz l. c. n. 650, nota 370; Scherer l. c. § 147, 3, qui ita habet: »Das kanonische Recht rezipierte die strenge Ausgestaltung des Armuts-gelübdes im byzantinischen Kaiserrecht.«

<sup>2)</sup> Suarez, l. c. n. 32 B.

<sup>3)</sup> Jam 534 Justinianus in utilitatem ecclesiae tum ingredientium consulens libertati tum monasteriorum providens sustentationi edixerat etiam filiis monasterium ingressis haereditatis parentum legitimam partem competere debere »nullo eis impedimento ex sanctimoniali conversatione generando, sive soli sive cum aliis ad successionem vocantur« (C. I. de Ep. et Cler. 54 [56]), ita ut monachis non quidem sibi, verum monasterio bona undecumque iure sibi competentia acquirere liceret.

„Ingressi monasteria ipso ingressu se suaque dedicant Deo : nec ergo de his testantur : utpote nec domini rerum.“ (C. I, 2 de sacros., 13.)

„Si qua mulier aut vir, liberis non exstantibus, monasticam vitam elegerit et monasterium intraverit : monasterio quod intravit res eius competere iubemus.“ (ibid.)

„Nunc autem cum monachus factus est : hoc ipso suas res omnes obtulisse monasterio videtur, si prius testatus non sit.“ (C. I, 3 de Episc. etc. 20.)

Huius generis paupertatem religiosam, omnis domini exigentem inhabilitatem, legibus positivis imperari potuisse facile intelligitur, si consideratur eundem imperatorem eadem lege positiva ipsum quoque fundamentum iecisse, quo illud paupertatis genus inniti potuit, vitam sc. communem. Sic anno 535 in novella iam allegata Justinianus statuit : „Volumus enim nullum monasterium sub ditione nostra constitutum sive plurimorum hominum esse sive paucorum, monachos, qui ibi sunt, divisos ab alterutris esse et propriis habitationibus uti, sed communiter.. in domo vero una collocatos, aut si forte non sufficit ad multitudinem monachorum domus una, in duas forsitan aut plures.. sed in communi.“ (Nov. V. De monachis, 3).

Nec infringitur vis argumenti eo, quod dicat quis has Justiniani leges ex auctoritate promanasse civili, cum eas non de effectibus condicionis monasticae mere civilibus disposuisse, sed canonizatas i. e. in foro etiam ecclesiastico esse receptas expresse constet ex Gregorio Magno, qui non multo post Justinianum regnavit (590—604) cuiusque verba <sup>1)</sup> in decretum Gratiani transierunt : „Quia ingredientibus monasterium convertendi gratia ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum eiusdem monasterii iuris fiant, aperta legis definitione declaratum est.“ <sup>2)</sup> Quibus legibus aliis verbis eodem in loco pontifex valorum in foro ecclesiae vindicat scribens : „Alia igitur omnia, quae ex testamento praenominatae Siriciae detinentur, quippe quod nullum esse legali sanctione permittitur, necesse est ut iuri monasterii fraternitatis vestrae sollicitudine sacerdotali per omnia studio reparentur, quia imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea, quae contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infestis habenda sint.“

Cui paupertati iuridicae cum effectu omnis incapacitatis possidendi etiam in foro ecclesiae expresse valorem tribuere cur hic pontifex non dubitarit, haud quemquam latebit. Quod enim hae leges postulabant, miro modo iam practice ordinis S. Benedicti clarissime tunc efflorescentis observabant familiae, normam invio-

<sup>1)</sup> lib. 7. Epistolarum, Ep. 7: Migne, P. L. LXXVII, col. 945.

<sup>2)</sup> c. 7. C. XIX. q. 3.

labilem sequentes regulam, quae „nullam omnino rem, neque codicem neque tabulas neque graphium, sed nihil omnino“ singulis permittebat monachis.<sup>1)</sup> Et quanti Gregorius, ipse monachus et inde ab anno 584 abbas benedictinus, hanc fecerit paupertatem, severitas ostendit, qua Justinum monachum, apud quem mortuum pecunia inventa fuit, in sterquilinum proici iussit clamantibus fratribus: Pecunia tua tecum sit in perditionem.<sup>2)</sup>

Consideratis igitur et legum ordinationibus et observationis praxi iam concludentes assentire Suarez haud dubitamus dicenti: „Post tempora Justiniani non invenio etiam religionem aliquam fuisse institutam, quae illam paupertatem [iuridicam] non servaverit; paulo enim post incepit religio Benedicti beati, quae semper paupertatem illam servavit, et de posterioribus idem constat.“<sup>3)</sup>

#### Caput IV.

##### De causis orti peculii ante Concilium Tridentinum.

Cum ergo in fine saeculi VI. paupertas religiosa perfectam domini incapacitatem ex lege universali annexam habuerit, inde ab hoc demum tempore de peculio monastico patet posse esse sermonem. Sed num revera vel potius cur monachi peculia habebant, et si habebant, num licite iis utebantur? Ad utramque responsuri quaestionem ob gravissimum, quod Concilio Tridentino hac in re auctores tribuunt momentum, bifariam per hanc synodum totam dividere iuvabit materiam. Loquentes autem de peculio epochae antetridentinae, nisi de certa specie alicubi expresse occurreret sermo, non determinatam aliquam peculii speciem consideramus, quippe quae in particulari casu cognoscenda relinquatur, quin haud raro dignosci omnino non possit, sed peculium intelligimus adaequate sumptum. Iamvero alicuius peculii usum brevi invaluisse eumque ex causis diversissimis testimonia historica ostendunt, quae non ordine chronologico, sed pro diversitate praecipuarum causarum orti peculii prodire facimus.

Grandem obtentum peculii monachorum praebuit duritia et avaritia superiorum, qui suo officio deesse videbantur, unde monachis aliunde necessaria conquirere opus erat. Praecipit nimirum regula s. Benedicti, cuius ordo pro primis saltem undecim saeculis fere unicus consideratur „Ut hoc vitium peculiare amputetur, dentur ab abbate omnia, quae sunt necessaria.“<sup>4)</sup> Quodsi superiores aut qui ex eorum mandato curam temporalem monachorum habebant, officio suo deerant, sua sponte proprietatis vitium irrepsit.

1) Regula cap. 33: Holsten. I. p. 125.

2) Dialog. IV. c. 55: Migne, P. L. LXXVII, col. 420.

3) l. c. n. 32 B.

4) Regula c. 55: Holsten. t. I. p. 140.

Unde monet iam anno 794 Synodus Francofurdensis can. 14 „ut avari celerarii in monasteriis non eligantur, sed tales electi sint, quales regula S. Benedicti docet,“<sup>1)</sup> et Synodus Tolosana anno 1056 celebrata can. 16 statuit: „ut abbates curam monachorum et monasteriorum exerceant et eis victum et vestitum sec. reg. s. Ben. praebeant et hoc agentes proprium eos habere nullatenus permittant.“<sup>2)</sup> Deinde si consideras eandem regulam abbati maxime curam infirmorum demandare,<sup>3)</sup> non miraberis, quod ex huius rei negligentia propria habere coeperunt religiosi. Deplorat e. g. Directorium Coloniense, quod superiores tam iusto officio deesse viderentur: „Monachi peculium corradunt atque seponunt vel redditus vitales aut perpetuos habent, unde tempore aegritudinis et necessitatis suae consolationem habeant, et se a molestiis paupertatis tueantur atque defendant.“<sup>4)</sup> De hac incuria superiorum pariter valde conqueritur Synodus Trevirensis anno 1310, can. 27: „Quia quamplures ecclesiarum praelati et potissime abbates, abbatissae, priores, praepositi bona monasteriorum et prioratum adeo prodigaliter dissipando refundunt, vendunt. . . quod monachi mendicare coguntur; . . monachis et conversis patet diversorium.“ Et can. 42: „Item praecipimus abbatibus et abbatissis, ut suis subditis tam in victu quam in vestitu secundum monasterii possibilitatem necessaria administrent.“<sup>5)</sup> Et Concilium Basileense anno 1431 haec incultat superioribus: „Ut autem huius nequissimi vitii occasiones penitus a monasteriis auferantur, D. abbatibus ceterisque officialibus rerum temporalium administrationem habentibus, eadem auctoritate seriose iniungimus et in virtute s. oboedientiae mandamus, quatenus fratribus omnibus et singulis sufficienter et honeste de omnibus necessariis secundum regulam provideatur in victu pariter et vestitu.“<sup>6)</sup>

Disciplinae monasticae ex hoc incuriae capite modo relaxationem modo eversionem triste commendarum, maxime laicarum, peperit institutum.<sup>7)</sup> Jam saec. 6 Gregorius M. ad

<sup>1)</sup> Hartzheim, S. J., Concilia Germaniae. Coloniae Aug. Agripp. 1759, t. I, p. 326.

<sup>2)</sup> Mansi, Sacorum Conciliorum nova et amplissima collectio. Florentiae 1765, XIX, col. 848.

<sup>3)</sup> Regula c. 36: Holsten. I. p. 127.

<sup>4)</sup> maxima ex parte impressum in Van Espen, Dissertatio de peculiari-tate in religione: Opera omnia. Lovanii 1759, P. IV. p. 80 ss.

<sup>5)</sup> Mansi, XXV, col. 256.

<sup>6)</sup> Ordinationes ad monachos Congr. Mellicensis directae, ex manuscripto Salisburg., apud Wolter, O. S. B., Praecipua ordinis monastici elementa. Brugi 1880, p. 263.

<sup>7)</sup> Thomassinus, Vetus et nova ecclesiae disciplina, 3ti. Lugduni 1706, P. II. L. III. p. 581—622; item Michael, S. J., Geschichte des deutschen Volkes seit dem XIII. Jahrhundert bis zum Ausgang des Mittelalters<sup>1-4</sup>, Freiburg 1897 ff. II. p. 52.

Joannem Ravennatem episcopum epistolam dedit: „Pervenit ad me, quod in ecclesia fraternitatis tuae aliqua loca dudum monasteriis consecrata, nunc habitacula clericorum aut etiam laicorum facta sunt. . . et per eorum vitam monasteria destruuntur.“<sup>1)</sup> Religiosi mendicare et propria sibi comparare cogebantur, quia illi commendatarii „occasione quasi regiminis ea (monasteria), quod dici grave est, velut in proprietate possidebant.“<sup>2)</sup> Et quod in Italia deplorandum erat, in Hispania brevi et in Gallia, maxime temporibus Merovingorum,<sup>3)</sup> invaluit in exitium paupertatis monasticae. Neque orientem exsecranda haec lues praeteriit. Refert saeculo XII Joannes, patriarcha Antiochenus „iam inde a temporibus Constantini Copronymi (741—775) eam flagitiosissimam inolevisse consuetudinem, quae magis in dies convaluit inconsideratis patriarcharum et imperatorum donis, qui semirutis monasteriis et xenodochiis donabant nobiles et locupletes laicos. . . Proventus etiam coenobiorum, subductis monachorum alimentis, his dari laicis tam inconsulte, ut ad rationes numquam vocarentur. Ideo et rebus necessariis defieri monachos ac non aliter quam nihili homines et mancipia vilipendi.“<sup>4)</sup>

Alia causa invehendi peculii paupertas erat monasteriorum, quae ne de necessariis quidem saepe suis providere sufficienter monachis valebant, adeo ut aliunde modo victum modo vestitum modo utrumque comparare necesse haberent. Statuit anno 755 ad tollendum hoc incommodum Synodus Vermeuillensis can. 6: „Et si aliqua monasteria sunt, quae earum ordinem propter paupertatem adimplere non possunt, hoc ille episcopus de veritate praevideat et hoc regi innotescat, ut in sua eleemosyna hoc emendari faciat.“<sup>5)</sup> Quae paupertas eo gravior evasit necessitasque acquirendi habendique peculii eo inevitabilior, quo plures in eiusmodi coenobia religiosi confluebant. Quapropter Concilia et Pontifices semper numerum monachorum maiorem quam qui ex facultatibus monasteriorum sustentari posset, severe prohibebant. Synodus Arelatensis anno 813 statuit can. 8: „Ut non amplius suscipiantur in monasterio canonicorum atque monachorum seu etiam puellarum nisi quantum ratio permittit et in eodem monasterio absque necessariarum rerum penuria degere possunt.“<sup>6)</sup> Idem inculcant eodem anno Synodus Moguntina<sup>7)</sup> et Rhemensis<sup>8)</sup>

<sup>1)</sup> Thomassinus, P. II. L. III. c. X. n. V.

<sup>2)</sup> ibid n. IX.

<sup>3)</sup> ibid. c. XI.

<sup>4)</sup> ibid. c. XXI, n. XIII.

<sup>5)</sup> Mansi XII, col. 578.

<sup>6)</sup> Mansi XIV, col. 60.

<sup>7)</sup> ibid. col. 70.

<sup>8)</sup> ibid. col. 79.

et anno 1114 Synodus Strigonensis;<sup>1)</sup> anno vero 1212 (13) magna Synodus Parisiensis ita habet: „Si autem facultates ad hoc (sc. ad vitam communem servandam) non sufficiant, numerus ibidem Deo deservientium... ad eam mediocritatem reducatur, ut ibi remanentes possint competenter vivere de communi.“<sup>2)</sup> Proinde et Benedictus XII anno 1335 praescripsit: „Quodque in monasteriis praedictis non plures monachi vel conversi ponantur, quam ex facultatibus dictorum monasteriorum possint congrue sustentari.“<sup>3)</sup>

Extrema autem nonnunquam monasteriorum paupertate longe periculosior eorundem erat rerum temporalium abundantia. In singulas vero causas, quae in id conspiraverunt, quod anno 1222 Caesarius, abbas Prumiensis, verbis deplorat „Die religiöse Zucht brachte Reichtum, aber der Reichtum hat die religiöse Zucht zerstört“<sup>4)</sup> inquirere nec vacat nec iuvat. Unum tamen, quod multum confert ad intelligenda decreta conciliorum, maxime Tridentini, hoc loco consideretur. Ex quo nimirum monasteria variis in locis possessiones et praedia habere contigit, vita communis solvi coepit eo, quod abbas de suis quosdam huc misit ad fructus capiendos certosque redditus statutis temporibus sibi tradendos. Postea tales monachi in his praediis ratione stabili administratorum munere fungebant, et orti sunt, quorum ius novum passim meminit, prioratus rurales seu forenses, quos superiores monachis, quibus ex facultatibus monasterii ob magnum ibi habitantium numerum providi non poterat, conferebantur. Jamvero hinc novam ansam pessimae speciei peculia existendi rationem coeperunt. Scribit auctor in rebus saeculi 13 exercitatissimus Hurter: „Nicht selten waren es vorzüglich die auswärtigen Propsteien oder Priorate, durch welche die Klöster in Schaden gebracht wurden, oder von woher die Verderblichkeit in denselben sich einschlich. Leichtsinrige Äbte konnten sich selbst dazu verstehen, solche Häuser Mönchen, die ohne Lust im Kloster weilten, um Geld zu verpachten; und diese hinwiederum, wenn sie ungern in das Ordenshaus zurückkehrten, suchten durch falsche Briefe, als wären sie ihnen auf lebenslang zugewiesen worden, dieselben zum Schaden der Klöster zu behalten.“<sup>5)</sup> En huius rei veritatem confirmatam ex allegato iam Concilio Parisiensi anno 1212 (13), quod in secunda parte can. 13 ita conqueritur. „Consuetudo detestabilis in quibusdam coenobiis inolevit, sc. quod abbates praeposuituras suas quibusdam monachis suis residentiam claustrum quo-

<sup>1)</sup> Mansi XXI, col. 99.

<sup>2)</sup> Mansi XXII, col. 829.

<sup>3)</sup> Const. »Fulgens sicut stella« p. 215, § 40: Bull. Rom. ed. Lux. I.

<sup>4)</sup> Michael II. p. 59.

<sup>5)</sup> Hurter Friedr., Geschichte des Papstes Innozenz III. und seiner Zeitgenossen, 4 Bde. Hamburg 1836 42, II. p. 487.

quomodo eludere cupientibus, sub certa forma pecuniae dent ad firmam et ab ipsis monachis recipiant inde fideiussores personas saeculares. Ex quo non modica sequuntur incommoda et scandala: quia si aliquid exerescit supra firmam, monachus illud quasi proprium suum retinet. In quo etiam materiam habet inordinate vivendi.“<sup>1)</sup>

Causa deinde solutae paupertatis monasticae introductique peculii externa quidem neque tamen minus exitiabilis erant litium politicarum turbines monasteriorumque spoliationes. In Gallia „monachi quin etiam ipsi Normannorum irruptione monasteriorumque per eos devastatione et huc illucque omnes fuerant et evaserant proprietarii. Et ubi post illud excidium totius regularitatis in sua coeperunt se recolligere monasteria, — una Cluniacensis congregatio primaevam instauravit retinuitque ordinis monastici perfectionem, monachis aliis pene omnibus palliatae acquiescentibus avaritiae eique permissionem abbatum praetextibus. . . . Expilatorum monasteriorum egestas fucatum adumbratumque praestabat patrocinium privatis illicitisque opibus monachorum.“<sup>2)</sup> Nec Italiae monasteriis nefariae haec pepercit lues proprietatis; extirpare eam aggressus est Innocentius III ex monasterio Sublacensi, verbis infra considerandis, poenas cautionesque Gregorii Magni renovans. Clarissime vero in Germania saeculo 13 ad nostram rem scribit chronista monasterii Sanctae Crucis: „In Germania war kein obrist Haupt. . . Die geistlich Zucht war zu grund gegangen. Ein jeder thut, schaffet und handelt, was ihn recht getaugt. Und so das Geistlich also hinfehlt, so geht zwungener weis das Zeitlich hinnach. Es kamen die Clöster in solliche Armuth, daß sie sich unterstunden, [um] sollichen Schaden zu wehren, die Zins und Einkommen zu theilen. Ein Theil gehörte in die Kammer des Prälaten, der andere dem Convent. Davon war einer jeder Person eine Summa Gelts gerecht, das nannten sie ein Leibting. Mit demselben mocht er thun, was er wollte. Da war das Gift der Zersterlichkeit.“<sup>3)</sup> Saltem in ea forma, quod pro victu vel vestitu aliqua pecunia religiosis dabatur, peculium in plerisque monasteriis obtinuit, quemadmodum in monasterio S. Martialis singuli monachi referuntur „pro pannis et pellicea XII solidos et in Coena III solidos pro calceamentis“<sup>4)</sup> accepisse,<sup>4)</sup> et sicut scribit B. Humbertus: „Notandum, quod in quibusdam religionibus maxime possessiones habentibus, providetur canonicis hoc modo: videlicet quod datur cuilibet certa

<sup>1)</sup> Mansi XXII, col. 829.

<sup>2)</sup> Thomassinus P. I. L. III. C. XXI. n. VII.

<sup>3)</sup> Königsdorfer, Geschichte des Klosters zum Heiligen Kreuz in Donauwörth. Donauwörth 1819, I. p. 73.

<sup>4)</sup> apud Hurter II. p. 556.

summa pecuniae quolibet anno, de qua providet sibi in vestibus sicut vult.<sup>4 1)</sup>

Generatim autem dicendum, ubicumque monachos extra domos religiosas habitare aut contigebat aut opus erat, eos peculiis nonnumquam prorsus independentibus usos fuisse. Sic etiam religiosos ratione studiorum extra monasteria degentes ex ipso iure peculia habuisse infra ostendemus, personas deinde regulares, maxime mulieres, vitam religiosam cum privatis possessionibus bene composuisse pariter adhuc videbimus. Ceterum iam ex testimoniis allatis peculium monasticum non solum inde a primis temporibus extitisse satis demonstratum esse videtur, verum etiam sufficienter comprobatum illud non simpliciter abusum fuisse, quem unice „obfirmata plurium claustralium in relaxatione voluntas“<sup>2)</sup> genuerit, quia monachis aliud plerumque non restabat. „Sane cum religiosus ius habeat ad alimenta et religio ad id se obliget erga ipsum, si religioso aliter non subvenitur, ius habet retinendi peculii.“<sup>3)</sup>

## Caput V.

### De iuridica peculii ante Concilium Tridentinum licitate.

Jam quaestio adest praecipua longeque gravioris momenti: Haec quibus monachi utebantur et in quorum ortus causas modo inquisivimus peculia, num erant licita, num de iure quoque a religiosis possidebantur? Hanc solventes quaestionem, cum in ecclesia occidentali ius tum particulare tum universale inde a saeculo demum duodecimo circa hanc materiam versari incipiat, ad ecclesiam prius orientalem nos convertere iuvabit.

Hic autem in fine saeculi IX ordinatio nobis occurrit iuris communis, qua considerata hanc ecclesiam facile iam missam faciemus. Imperator nimirum Leo VI cognomento Philosophus (886—912), cum legum codicis Justinianaei „alias dum illi ipsi, qui illas tulerunt, in priore sententia ac voluntate non persistent, verum sibi ipsi contradicunt; alias etiam, dum posteriores, modo consuetudine modo lege illis contraria sustinent,“ eliminare vellet, *ἐπανορθωτικὰς καθάρσεις* i. e. correctorias legum repurgationes edidit, in quibus maxime, quod consuetudine communiter observari contigebat, lege in futurum observandum mandavit. Hae autem repurgationes etiam leges antiquas circa monachos latas affecerunt, cum per eas celeberrimae novellae V, c. 5 et CXXIII, c. 38

<sup>1)</sup> apud Concina O. P., Defensio decretorum Concilii Tridentini et Apostolicarum Constitutionum in causa paupertatis monasticae. Bononiae 1745, Diss. I. p. 66; cf. Petrum Damiani: Migne P. L. CXLV, opusc. 24.

<sup>2)</sup> Concina, Diss. I. p. 72.

<sup>3)</sup> Ballerini IV. n. 117. 7<sup>o</sup>.

abrogatae sint. Tulit siquidem legem, secundum quam monachi post susceptionem vitae monasticae non solum proprium comparare, sed etiam libere de eo idque mortis causa disponere potuerunt. „Statuimus, ut si quis, quo tempore monasticam vitam suscepit, ecclesiae quidpiam consecravit, illi circa res postmodum comparatas liberum ratumque iudicium sit, quomocumque de illis statuere velit; sin nihil omnino ab initio in monasterium allatum sit, tum ut bifariam substantia dividatur, ita ut una pars in bessem, altera vero in trientem circumscribatur ac monachus, quomocumque ipsi visum fuerit, de besse testamento statuatur: triens autem applicetur monasterio.“<sup>1)</sup> Rationes novae huius legis praeter vigentem consuetudinem Imperator ibidem assignat necessitatem sublevandorum cognatorum et amicorum, quos in mundo reliquerunt monachi, et periculum, ne monasteria bonis temporalibus abundent: „Quomodo non ab omni humanitate alienum . . cognatos amicosque propellere, atque omnia ad se trahere monachis decorum sit?“ Quas dispositiones sive ex sincera cura boni communis sive iam tunc ex metu dicas promanasse, ne manus mortua pleraque bona ad se rapiat, hoc saltem certum est pro ditionibus ecclesiae orientalis antiquam incapacitatem monachorum ad bona possidenda abrogatam esse plenamque ei eorundem habilitatem substitutam idque iure communi per legem ad Patriarcham Constantinopolitanum directam, quae eo magis etiam in foro ecclesiae valebat, quo minus hi Patriarchae in rebus disciplinariis Romanum Pontificem curabant.

In ecclesia occidentali praecedentibus paucis conciliis particularibus, quae tollendae monachorum proprietati maxime ex prioratum forensium instituto exortae incubuere, e. g. Synodo Pictaviensi anno 1078<sup>2)</sup> et Concilio Londiniensi anno 1127, quod can. 9 statuit: „Episcopi presbyteros, abbates monachos, priores subditos firmam tenere inhi-beant,“<sup>3)</sup> etiam concilia generalia et Pontifices collapsam ex infracto voto paupertatis esse disciplinam monasticam non ignorantem medelae ferendae operam navarunt.

Primum hac in re locum obtinet statutum in Concilio Lateranensi III 1179 celebre caput „Monachi“,<sup>4)</sup> quod in corpus iuris transiit<sup>5)</sup> et ita habet: „Monachi non pretio recipiantur in monasterio, non peculium permittantur habere, non singuli per villas et oppida seu ad quascumque parochiales ponantur ecclesias. .

---

<sup>1)</sup> Corpus Jur. Civ. Rom. cum notis Dionysii Gothofredi ed. Lips. (1740) t. II. p. 660 ss.

<sup>2)</sup> Mansi XX, col. 498.

<sup>3)</sup> Mansi XXI, col. 357.

<sup>4)</sup> Mansi XXII, col. 223.

<sup>5)</sup> c. 2. X (III. 35).

Qui vero peculium habuerit, nisi ei ab abbate pro iniuncta fuerit administratione permissum, a communione removeatur altaris.. Prioratus quoque sive oboedientiae pretii donatione nulli tradantur, alioqui et dantes et accipientes a ministerio fiant ecclesiastico alieni.“

Ad hunc textum, qui est potissimum argumentum pro demonstranda in hac epocha peculii liceitate, non posse provocari urgent recentiores: Biederlack illud dicit esse „non omni exceptione maius“;<sup>1)</sup> Wernz ita monet: „Cit. cap. minime Abbati permissum esse dicitur, ut omnibus et singulis monachis ‚peculium‘ concedere possit, de quo hoc loco quaeritur, sed potius agitur de peculio vel pecunia, quae ‚pro iniuncta administratione‘ procuratoribus sive oeconomis monasterii est concessa“;<sup>2)</sup> et Scherer ait: „Gerade ein regularer Administrator braucht am wenigsten ein peculium im Sinne des Textes, wohl aber pecunia, in welcher Bedeutung hier das Wort peculium verstanden werden muß.“<sup>3)</sup> Antiquis econtra textus hanc difficultatem non facit. Jam Abbas, maximae auctoritatis canonista, in hoc caput ita animadvertit: „Capitur hic peculium pro proprio seu proprietate... Regulariter religiosi possunt ex licentia abbatis habere peculium seu administrationes peculii, quod intellige pro utilitate monasterii vel alendo seipsum... secus autem, si vellet habere ut disponderet ad libitum, quia tunc abbas non posset sibi hoc concedere.“<sup>4)</sup> Et Suarez ex ipsis verbis legis concludit: „Ergo de licentia Abbatis licitum est peculium: loquitur autem textus indistincte de peculio bonorum mobilium vel immobilium. Non est ergo, cur distinguamus et restringamus illud ius, praesertim quia administratio, de qua loquitur Pontifex, magis habet locum circa bona mobilia quam immobilia.“<sup>5)</sup> Et Schmalzgrueber: „Neque obstat, quod textus iste loquatur de religiosis administrationem habentibus, quia causa administrationis pro peculio concedendo ibi data est, non quod sola sufficiat, sed quod fit frequentior.“<sup>6)</sup> Cui antiquorum sententiae favere videtur etiam id, quod peculium in sensu pecuniae administratoribus monasterii ad officia sua expedienda ab abbate dari debet, nec ut demum permittatur, necesse est, et quod daretur magis „ad administrationem“ quam „pro administratione“. Quidquid autem dicatur de hoc textu, cum

<sup>1)</sup> l. c. n. 51.

<sup>2)</sup> t. III. p. 704, nota 380.

<sup>3)</sup> IV. B. II. Cap. Anm. 122.

<sup>4)</sup> Abbas, decretalium 7 partes cum suppletionibus Antonii de but. et cum additionibus celeberrimi aetate ista Antonii Corsesi.. noviter editis per eximium J. v. do. Bernardinum ex capitaneis de Zadriano Mediolanensem 1496 (Incuna biblioth. Universit. Oenip.), t. V. fol. 159.

<sup>5)</sup> l. VIII. C. 14. n. 3.

<sup>6)</sup> t. III. P. IV. tit. 35, n. 11, 2 a.

evidentia ex eo solo iuridica peculii licitas non demonstratur nec excluditur: textus ambiguus est, quod probant oppositae partis auctores, qui pro sua quisque sententia ad illum provocant.

Quaestio decidenda est ex alio capite. Nimirum peculium dependens citato capite non prohiberi et verba „non peculium permittantur habere“ esse accipienda de peculio, cuius acceptio et usus sit independens a voluntate praelati, patet collatis aliis textibus iuris et ex observatione legis. Consideretur hic solum praecipuum caput „Insinuante“. <sup>1)</sup> Hoc caput, desumptum ex decretali quadam Innocentii III, ad quod veteres provocant omnes, ex recentioribus Ballerini, <sup>2)</sup> supponit etiam post Concilium Lat. III valuisse professionem a femina factam in manibus cuiusdam de fratribus S. Augustini „eo adiecto tenore, ut in domo propria cum omni substantia sua remaneret,“ permittente sc. fratre, in cuius manibus voverat. Hic textus, ex quo Suarez pro sua sententia argumentatur, <sup>3)</sup> a Navarro dicitur „singularis et irrefragabilis idque 1. quatenus habet feminam fieri posse vere religiosam non intrando illud et manendo in domo, quae sua erat ante professionem, quo casu necessarium est, eam habere aliquod peculium proprium, quo se sustentet. 2. quatenus id saltem certe probat valere professionem factam cum pacto, ut vivat extra monasterium cum bonis, quae ante professionem erant sua, sustentando se de illis.“ <sup>4)</sup> Pro eodem textu Suarez provocat ad Joannem Andream, optimae notae canonistam, qui in regula „non est obligatorium“ dicit „valere statuum iusta saltem de causa factum, ut monasterium solum det victum monialibus, quod pro vestitu habeant ea, quae labore manuum suarum lucrantur, quod in multis monasteriis usitari vidimus.“ <sup>5)</sup> Idem canonista: „Curia Romana, inquit, scit et tolerat, quod regularibus taxetur aliquid pro vestimentis vel dentur ad id certae pensiones. Unde et regulares capellani Papae de servitiis ita recipiunt et sicut alii; testari tamen de his non possunt quasi proprietarii.“ <sup>6)</sup> Et citatus iam Abbas ad factum provocat, quod monachi ecclesiae Cathaniensis, quibus ex antiqua ecclesiae ordinatione dabantur 50 scuta pro necessariis, recte et sine peccato administrando dictam provisionem capere poterant, quamdiu patiebatur episcopus, qui erat loco abbatis. <sup>7)</sup>

<sup>1)</sup> c. 7. X (IV. 7).

<sup>2)</sup> IV. n. 115, 3<sup>o</sup>.

<sup>3)</sup> l. VIII. C. 14. n. 3.

<sup>4)</sup> Navarrus, Martinus Azpilcueta, Opera omnia. Venetiis 1618, Comment. II. de Regul. n. 14.

<sup>5)</sup> Andreas, Joannes, Novellae (in memoriam matris filiaeque ita dictae) super l. II. III. IV. et V. lib. Decretalium. Venetiis 1489. (Incuna biblioth. Universit. Oenip.), De reg. iur. lib. VI.

<sup>6)</sup> ibid.

<sup>7)</sup> t. I. cons. 88. Videtur n. 6. v. Nam et servus.

Licet ergo ex tenore capituli „Monachi“ iuridica peculii dependentis licitas non certo constet, aliunde tamen, ex eius interpretatione cum doctrinali tum usuali, quae est optima legum interpretis, de ea dubitari nequit.

Alia magni momenti dispositio iuris communis continetur decreto Innocentii III. „Cum ad monasterium,“ quod ad conventum Sublacensem directum in corpus iuris transiit<sup>1)</sup> et cuius verba ad rem nostram facientia haec sunt: „Prohibemus quoque districte in virtute oboedientiae sub obtestatione divini iudicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habeat proprii, totum incontinenti resignet. Si vero post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione praemissa de monasterio expellatur nec recipiatur ulterius. Quodsi proprietatem apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinum subterretur. Nec alicui committatur aliqua oboedientia perpetuo possidenda tamquam in sua sibi vita locetur, sed cum oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur. Nec aestimet abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis sicut et custodia castitatis adeo est annexa regulae monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.“

Proprietatem autem, quam Innocentius hoc decreto gravissimis infictis poenis prohibet, intelligendam esse peculium independens, ex his rationibus nobis videtur esse asserendum: 1. Ipsi termini „deprehensus fuerit“, „inventa fuerit“ sermonem esse ostendunt de peculio, quod monachus celat abbatem. 2. Pontifex prae oculis habet illum abusum, quo prioratum ruralium et villarum pretii donatione monachi ad dies vitae constituebantur administratores, ita ut a suis superioribus independentes relinquerentur. Unde Suarez: „Ex quibus verbis (Nec alicui), ait, a contrario sensu colligo, si oboedientia vel administratio non conceditur in perpetuum, sed revocabilis ad nutum, non fuisse tunc illicitam nec contrariam paupertati.“<sup>2)</sup> Proinde etiam Concilium Parisiense anno 1212 (13) § p. can. 16 statuit: „Et ut abbates vel priores vel capitula non vendant vel conferant oboedientias fratribus vel aliis: hoc expresso, quod ad vitam suam debeant tenere.“<sup>3)</sup> 3. Proprietas, super qua decretum ne summum quidem Pontificem dicit dispensare posse, est proprietas perfecta et independens, quia haec sola voto paupertatis aequè repugnat ac violatio castitatis, et quia aliquo peculio dependente regularibus uti licuisse non ita

<sup>1)</sup> c. 6. X de statu monach. (III, 35).

<sup>2)</sup> L. VIII. Cap. 14. n. 6.

<sup>3)</sup> Mansi XXII, col. 838.

multo post anno 1228 supponit Gregorius IX. ita scribens: „Item statuimus, ut nullus monachorum seu conversorum utriusque sexus de cetero proprium habere praesumat per se vel per alium nomine doni vel commendae seu xenii vel aeulogii vel alio aliquo modo, nisi quod iusserit vel permiserit abbas. . . nec aliquid praesumat aliquo modo dare vel accipere sine iussione seu permissione abbatis.“<sup>1)</sup> 4. Canonistae antetridentini hanc sententiam omnes defendunt. Sic Joannes Andreas in hoc capite ad verbum „proprietatem“ ait: „Nec videtur dici proprietas, quando de quantitate et qualitate nihil celat Abbati, nec sine ipsius conscientia aliquid recipit. vel expendit, paratus totum reddere et dimittere ad nutum Abbatis. . . Nam de permissu Abbatis videtur, quod possit habere pecuniam (monachus), dum tamen ipsam in proprios usus non expendat nec alicui det sine Abbatis scientia, sed nomine Abbatis teneat, paratus illud resignare, quando volet.“ Similiter Abbas haec habet: „Si (monachus) habet administrationem, puta prioratum, vel est in studio cum licentia superioris, licite aliquid detinet. Unde non dicitur habere proprium, cum detinet sciente et patiente superiore, nec aliquid expendit contra voluntatem superioris et id, quod detinet, paratus est dimittere ad libitum superioris. Nam idem videtur secundo, quod licet habeat peculium seu ipsius administrationem ex permissione domini, non propter hoc dicitur habere proprietatem seu dominium.“<sup>2)</sup> Et in Concilio Constantiensi provocatur ad Henricum Boeck, qui ad nostrum caput quaerit: „Utrum Abbas possit cum suo monacho, ut habeat res temporales, dispensare? Distinguit: Aut ut habeat et possideat nomine monasterii, in usus suos necessarios: et dicit quod sic. . . Aut ut habeat et possideat nomine proprio: et dicit quod non.“<sup>3)</sup>

Quodsi ad intelligenda et diiudicanda decreta universalia, quae generatim peculium dependens regularibus permittunt, interpretatione tum doctrinali tum usuali supersedere vix possumus, unam tamen peculii speciem iam ante Tridentinum Concilium expressis constitutionibus pontificiis concessam et approbatam reperimus.

Nimirum etiam in monasteriis, in quibus bona disciplina vigeat, perfectae vitae communis observatio haud raro difficillima, ne dicam moraliter impossibilis, erat. Unde modo necessitas singulorum extra monasterium degendi, modo maioris parsimoniae

---

<sup>1)</sup> Constit. »Cum pro reformatione«: Bullarium Diplomatum et Privilegiorum Sanctorum Romanorum Pontificum Taurinensis editio. Augustae Taurinorum 1857 ss., t. III. p. 434 n. IX.

<sup>2)</sup> t. V. fol. 161.

<sup>3)</sup> van der Hardt, Concilium Constantiense. Francofordi 1698, t. III: Anonymi ord. Cisterciensis propositio affirmativa in Constant. Conc. 1417 oblata et examinata, quod monachi Cist. possint propria possidere bona, p. 126.

ratio, modo dicta iam paupertas usum invalere fecerunt, ut singulis religiosus certa pecunia daretur, qua de vestibus, nonnumquam etiam de victu, plerumque solum de rebus, quibus tantum aliqui indigebant, quasque aliis religiosus communis provisio ministrare non solebat, ex licentia superioris ipsi sibi providere possent. Ministrabantur ergo singulis necessaria de massa communi ita, ut vita communis solum ratione sustentationis, non ratione societatis et in substantia tolleretur. Concilia particularia contra hoc peculium insurrexerunt, e g. Concilium Oxoniense anno 1222, quod can. 43 statuit: „Nec singulis eorum denarii pro vestibus tribuantur, sed talia per certas personas ad haec deputatas... diligenter expediantur.“<sup>1)</sup> Pariter Concilium Biterrense anno 1246 can. 23: „Nec accipiant a suo maiore aliquam pro vestibus pecuniae quantitatem, quia ex hoc datur eis materia proprium retinendi.“<sup>2)</sup> Haec ad verbum fere repetuntur in Synodo Albiensi 1254,<sup>3)</sup> et similia inculcat Concilium Londiniense 1268;<sup>4)</sup> neque mirum, cum ipse Gregorius IX iam anno 1228 idem prohibeat: „Illud duximus prohibendum, ne monacho detur pro victu pecunia vel vestitu.“<sup>5)</sup>

Attamen tamquam peremptoriae hac in re considerari debent tres constitutiones Benedicti XII: „Fulgens sicut stella“,<sup>6)</sup> directa anno 1335 ad Cistercienses; „Summi Magistri“,<sup>7)</sup> anno 1336 ad Benedictinos; „Ad decorem Ecclesiae“,<sup>8)</sup> anno 1339 ad Canonicos Regulares data. Quae constitutiones, cum ex professo de reformatione regularium tractent et in nostra materia clarissime loquantur, valde mirum, quomodo omnes auctores de paupertate monastica agentes latere potuerint: unicum Thomassinum repperi, qui tertiam tantum bullam perpaucis commemorat.

Quia vero loca, quae ad nostram rem faciunt, in his tribus constitutionibus iisdem fere verbis absolvuntur, unam tantum „Summi Magistri“ considerare sufficiet. Jam in hac Pontifex studia generalia praescribens tum magistris tum scholaribus studiorum causa extra monasterium degentibus certam pecuniam assignari iubet. „Sane quia prosecutiones liberalium studiorum, praecipue in generalibus seu saecularibus studiis, diversa requirunt onera expensarum: nos huiusmodi monachis mittendis ad ipsa studia et pro eis et aliis ratione dictorum studiorum pensiones in quantitatis subsequenter providemus fore annis singulis

<sup>1)</sup> Mansi XXII, col. 1164.

<sup>2)</sup> ibid. XXIII, col. 697.

<sup>3)</sup> ibid., col. 846.

<sup>4)</sup> ibid., col. 1252.

<sup>5)</sup> Constit. »Cum pro reformatione«: Bull. Rom. ed. Taur. t. III, p. 434. n. IX.

<sup>6)</sup> Bull. Rom. ed. Luxemb. t. I, p. 209-217.

<sup>7)</sup> ibid. p. 218-237.

<sup>8)</sup> ibid. p. 237-253.

ministrandas et infrascriptis terminis transmittendas. Videlicet Magistro in Theologia in studio generali legenti 60, Baccalaureo necnon Scholari theologiae 40, Doctori Decretorum iura canonica in huiusmodi studio legenti 50, Baccalaureo vero seu Scholari Canonistae 35 libras Turonensium parvorum vel eorum valorem in alia moneta, tam pro victualibus, vestimentis et calceamentis quam pro libris et quibuscumque aliis necessitatibus eorundem. De quibus quidem pensionibus dictis Scholaribus (ut praemittitur) ministrandis, quilibet Scholaris habeat pro quotidianis expensis 20 libras dumtaxat; et pro vestimentis et calceamentis 6 libras tantum; de residuo vero emanantur ac provideatur ei de ipsis, quae ratione infirmitatum vel alia necessaria sibi erunt.<sup>1)</sup>

Jamvero his verbis non modo concedi, verum et praescribi peculium, quod diximus compatibile, quo nempe singuli religiosi de pecunia sibi assignata cum dependentia superioris ipsi disponentes necessaria sibi comparare possunt, colligitur 1. ex monitione, ne magistri in locis studiorum status sui immemores nimias expensas faciant: „Ipsi vero Magistri non pompose manere seu laute vivere praesumant in studiis ante dictis, sed devote et humiliter legant, cibis competentibus vescantur et uno solo servitore Clerico sint contenti,<sup>2)</sup> et ex iuramento, quod ad docendi munus assumptus praestare debebat „quod in assumptione ipsius honoris vel ante seu post, occasione illius, circa cibos, vestes et alia non expendat per se.. nec quantum in eo fuerit, ultra valorem mille Turonensium argenti expendi permittat ab aliis..“<sup>3)</sup> quae omnia nonnisi de vero peculio intelligi possunt. 2. ex eo, quod studentes factarum expensarum ipsi rationem reddere debebant: „Provideant (piores) insuper, quod dicti monachi studentes expensas faciant moderatas et non superfluas vel aliquatenus excessivas eosque cogat ad reddendum de receptis et expensis in fine cuiuslibet mensis (vel prout alias sibi videatur) rationem illi vel illis providis et discretis, quos idem Prior ad hoc duxerit deputandos.“<sup>4)</sup>

Neque in ipso monasterio religiosus incapax erat alicuius peculii compatibilis. Praecipit Benedictus XII, ut in singulis monasteriis magister idoneus constituatur „cui quidem magistro, si monachus non fuerit ipsius Ordinis seu religionis, de pane et vino et pictantia providere quotidie... teneantur illi, qui talia tenentur ministrare, necnon pro vestimentis, calceamentis et salario congrua pensio annua assignetur: quae tamen 20 librorum Turo-

<sup>1)</sup> p. 224, c. 8.; similiter »Fulgens sicut st.« p. 215 § 45 et »Ad decorem« p. 243 § 23.

<sup>2)</sup> p. 226 c. 8. et »f. s. st.« p. 217 § 53.

<sup>3)</sup> ibid.

<sup>4)</sup> p. 225; similiter »Ad dec.« p. 244 c. 27.

nensium parvorum summam nequaquam excedat... Si vero in ecclesiis, monasteriis.. sit monachus idoneus ad praedicta, monachus ipse.. instruere fideliter ipsos monachos in praedictis scientiis deputetur... Cui scilicet monacho instructori 10 librae Turonenses ultra victum et vestitum pro libris emendis vel aliis suis necessitatibus iuxta dispositionem dictorum superiorum deputentur.“<sup>1)</sup>

Probe vero notandum hoc peculium in ipso monasterio, ubi ergo etiam ratione sustentationis perfecta vita communis servari potest, a Pontifice monachis non concedi ad victum et vestitum sibi comparandum, sed tantum ad illa necessaria, quae monasterium omnibus providere non solet, et non nisi ex rationabili causa, qualis v. g. munus docendi ob peculiare expensas hic habetur. Communiter autem sustentationi ex communi massa in natura faciendae substituere peculii ministracionem Benedictus severe prohibet: „Sufficienter victualia, vestiaria omniaque alia necessaria monachis ministrentur, proviso attentius, quod pro huiusmodi victualibus, vestiariis aut aliis quibuslibet eisdem monachis necessariis, pecuniae simul aut per vices seu minuatim nullatenus eis dentur, aut pensio vel redditus quomodolibet assignentur.“<sup>2)</sup>

Peculium autem incompatible etiam extra monasterium stricte interdicitur. Etenim ita Pontifex: „.. hoc tamen adhibito moderamine circa idem, quod monachis de suorum superiorum licentia extra.. monasteria, prioratus.. in scholis vel alibi... commorantibus, possit pro victu et vestitu (sicut eorum superioribus videbitur) dari pecunia, non tamen pensio vel redditus assignari, salvis etiam statuto et ordinatione de monachis ad studia generalia transmittendis et de pensionibus eis ac de 10 libris exhibendis dicto monacho..“<sup>3)</sup> Jamvero pensio vel redditus, qui hic dari prohibentur, non sunt compatible peculium, sed pecuniae aliunde acceptae, quae massae bonorum monasterii non sunt incorporate, quia Pontifex de his redditibus clare alibi dicit: „Nulli monacho certi redditus aut proventus seu pars reddituum aut proventuum aut aliqua pensio pro victu vel vestitu seu ex quacumque alia causa concedantur.. sed in utilitatem monasteriorum ipsorum per Abbates proprios convertantur.“<sup>4)</sup>

Quae ergo exposuimus, concludentes ita resumimus: Ex lege pontificia eaque ex professo de reformatione regularium agente atque utpote ad tres ordines maxime propagatos directa universali 1. peculium incompatible simpliciter prohibetur; 2. peculium vero compatible tum primi tum secundi generis extra monasterium pleno iure accipitur et habetur, intra monasterium

<sup>1)</sup> p. 222. c. 6.; similiter »Ad decorem« p. 242 § 22.

<sup>2)</sup> p. 230. c. 17; similiter »Ad dec.« p. 251 § 47.

<sup>3)</sup> ibid.

<sup>4)</sup> »Fulgens sicut stella« p. 214 § 36.

tantum ad ea necessaria conceditur, quae aliquibus dumtaxat iisque ex rationabili causa opus sunt, ergo peculium compatibile secundi generis; 3. speciem habendi de iure peculii compatibilis, i. e. num tale in particulari casu liceat primi an secundi generis, habitatio determinat in monasterio vel extra illud, ratio igitur vitae communis, quae tamen formalis est et stricte accipienda, i. e. habitatio religiosi in proprio monasterio, quia sola cohabitatio extra monasterium (studia generalia) vel in aliena domo (monachus instructor alieni monasterii) peculium compatibile primi generis non reddunt illicitum; 4. principium extra omne dubium est esse monachum de lege capacem peculii dependentis.

Hoc ergo peculio de lege utebantur monachi, attamen consuetudini magis favebant capita „Cum ad monasterium“ et „Monachi“, ita ut etiam contra prohibitionem Benedicti XII usus cuiusvis peculii dependentis brevi inualesceret et satis licitus haberetur. Quodsi ad interpretationem doctrinalem accedere facis, quod regula S. Benedicti nullam in hac re difficultatem paravit, quia tantum prohibet „ne quis praesumat quid dare aut accipere sine iussione abbatis“, <sup>1)</sup> id quod etiam de plerisque regulis dicendum esse fuse ostendit Martene, <sup>2)</sup> non miraberis, quod in Concilio Constantiensi anno 1417 aliquis anonymus Cisterciensis in conspectu omnium praesulum sui ordinis propositionem defendere potuerit: „Illud in monacho est proprium, quod celatur abbati“ <sup>3)</sup> et quod iam tunc provocare potuerit ad consuetudinem in suo ordine communem: „Et sic quasi in omnibus monasteriis nostri ordinis sive per statutum sive per dispensationem consuetudo inolevit, etiam dudum pacifice observata et praescripta, propriis praelatis et etiam dominis visitoribus scientibus et consentientibus.“ <sup>4)</sup>

Constitutiones Benedictinae, quibus superiora capita „Cum ad mon.“ et „Monachi“ valore legum universalium excidisse dici debent, erant ultima in nostra materia iuris communis dispositio ante Concilium Tridentinum. Saeculum XV disciplinae monasticae non fuisse docet historia. Capitula ordinum impedire non potuerunt illum, in quem tempora reformationis vitae monasticae offenderunt statum, sed, quod auferri non potuit, tolerare praeferebant ad vitanda maiora mala, quemadmodum concessionem suas peculii incompatibilis Capitulum Provinciale Benedictinorum anno 1422 apud Westmonasterium celebratum hac fulcit ratione: „Illud iuris consilium esse perlegimus, propter vitandum malum

<sup>1)</sup> c. 33. Holsten. I. p. 125.

<sup>2)</sup> Martene O. S. B., Commentarius in Regulam S. P. Benedicti litteralis, moralis, historicus. Parisiis 1690, p. 422 ss.

<sup>3)</sup> van der Hardt, l. c. cap. III.

<sup>4)</sup> ibid. cap. VI.

maius minus tolerare.“<sup>1)</sup> Sed concessum huius generis peculium ipsum proprietatis vitium brevi subsecutum est, ita ut iam anno 1493 Capitulum Generale Cisterciensium contra pessimam peculii speciem insurgere deberet: „Mandatur et praecipitur, quod quilibet abbas . . tollat ordinis auctoritate ab universis religiosis quaecumque peculia sive in animalibus sive in vineis, terris, hortis, grangiis aut quibuslibet similibus.“<sup>2)</sup>

Facile ergo hanc epocham iam missam facimus ita concludentes: Ante Concilium Tridentinum 1. peculium dependens compatibile licitum erat idque de lege, 2. peculium dependens incompatible inde a Benedicto XII de lege expresse prohibitum erat et solum ex consuetudine contraria licitum dici poterat.

(Conclusio in fasc. seq.)

## Ein Aktenstück zu Beginn des abendländischen Schismas.

Von Dr. Fr. Bliemetzrieder.

Eingestandenermaßen sind die historischen Quellen nicht bloß in einer Richtung von Bedeutung. Ein diplomatisches Aktenstück kann zugleich historische Berichte enthalten. Beides fällt aber nicht zusammen; man weiß welche Kriterien in vielen Fällen anzuwenden sind, um aus diplomatischen Aktenstücken die reine historische Wahrheit zu entnehmen. Ein Quellenstück in den Diensten der Diplomatie hat ohne Zweifel seine geglättete äußere Form. Der Entwurf dazu wird vielfach korrigiert werden, derselbe ist als solcher zu treu die Wirklichkeit wiedergebend, und die Wirklichkeit ist es ja oft nicht, womit die Diplomatie zufrieden ist, sondern sie strebt ihren Zwecken zu. Gerade deshalb aber weil der Entwurf oft unmittelbarer und treuer ist, hat er als historischer Bericht eine größere Bedeutung.

Dies gilt von dem im folgenden abgedruckten Quellenstücke. Es ist eine Gesandtschafts-Instruktion, gehört also zur Diplomatie. Es ist aber der Entwurf und da er den Zwecken der Mission nicht entsprach, wurde er korrigiert. Und doch sind die korrigierten Stellen als historische Berichte hochinteressant. So mußte z. B. der Punkt in der ersten Form „Item informetur dominus noster quod ubi sunt X persone novem sunt pro isto maledicto Bartholomeo et unus pro opinione dominorum, et super hoc provideat sibi et Ecclesie universali“, Klemens VII. und seinen An-

<sup>1)</sup> Thomassinus P. I. L. III. C. XXI. n. IX.

<sup>2)</sup> Paris, Jul. O. Cist., Nomasticon Cisterciense. Parisii 1664, Dist. VII, Cap. VII. art. IX.